


EPISTULA LEONINA

CCLXI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICĀ SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM PRIMAM (261)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-04
PRO MULTIS PAUCI PRAESIDENT.....	05
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....	06-11
COETUS ET CONVENTUS ALF: ‘DE URBE ROMA’.....	12-15
DE CACTULO. <i>Canticum hilare a Iohanne Knijff togâ indutum.</i>	16-17
QUALIS FUIT BRITANNIAE CAMERARIUS SELLAE?.....	18-22
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....	23-30
NINA BURRI FEMINA SERPENTINA.....	31-43
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	44-57
<i>Carolus Lyvens Lituanus (44) – Paulus Kangiser (44-46) – Naevius Sartorius (46-47) - Joannes Carolus Rossi (47-50) - Ansgarius Osloensis (50-51) – Radulfus Lavallo (51-52) - Urbanus Ferrarius (52) – Iohannes Petrus Knijff (53) - Gaius Licoppe (53-57)</i>	
LIBRI LEONIS LATINI.....	58-61

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

*istâ in tempestate rerum utinam sit tibi occasiuncula
Epistulam meam perlustrandi! Crede mihi eidem inesse
multa et varia et delectabilia et scitu dignissima.
Plurimum tibi commendo colloquium cum Ninâ Burri
Contortrice sive Feminâ Serpentinâ factum. Quaeris,
quale animal hoc sit? Inspice Leonis scriptiunculam
novissimam! Noli oblivisci mense Iunio factum iri Coetum
et Conventum Academiae Latinitati Fovendae
sollemnissimum, ubi agatur de Urbe Româ. Tollas legas,
quaeso chronogrammata artificiosissima et cantilenam
Cactuli hilarissimam a Iohanne Knijff Batavo Monacensi
ingeniosê in Latinum conversam, mirare, quantâ
potestate fuerit in Britannîâ aetatis Tudoriana
Camerarius Sellae.*


*Denique toto ex corde tibi suadeo, ut hellueris epistulis et
echûs vocibus mihi a Lectoribus missis, qui cogitationes
commotionesque suas animorum exprimant Latinitate
iucundissimâ...*

Pancraticê vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat...

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Martis ineunte, 23. m.Maii a.2022



<http://www.leolatinus.com/>

Dr. Nicolaus Groß

LEO LATINUS

[Sodalis Academiae Latinitati Fovendae](#)



PRO MULTIS PAUCI PRAESIDENT

Ecce Martialia symbola et verba Latina *Academiae Militaris Civitatum Unitarum* illustrissimae, quae appellatur *West Point*. Sunt symbola quoque nationis bellicosae, iuris gentium parum curiosae, principatûs globalis nimis cupidae, quae studeat sequi illa verba Vergiliana: *parcere subiectis et debellare superbos*.


CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem Chronogrammatischen Jahresweg 2022 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp.

Zum 13. Mai, **Jahrestag der ersten Erscheinung Mariens in Fatima im Jahre 1917:**

2022* aVe, apparItIo pIae VIrgInIs MarIae IbI FatIMae IrIae! – Sei begrüßt, Erscheinung der gütigen Jungfrau Maria dort in Fatimas Iria!

2022* aVe, aVe, MarIa, aVe, MarIa, ora pro nobIs, ora pro nobIs, ora pro nobIs, ora pro totIs nobIs. - Ave, ave, Maria, ave, Maria, bitte für uns, bitte für uns, bitte für uns, bitte für uns alle! - nach dem litaneiartigen Prozessionslied „Ave, ave“ von Fatima



2022* aVe, MarIa pIa, VIrgo pVrIssIMa, ora pro nobIs totIs. - Begrüßet seist Du, gütige Maria, reinste Magd, bitte für uns alle.

2021* aVe, VIrgo MarIa, aparVIstI IbI FatIMae! – Sei begrüßt, Jungfrau Maria, du bist dort in Fatima erschienen.

2022* **VI**rgo **Ma**ria **p**la, **Ib**I In terra **Ir**iae **Fat**IMae appar**VI**st**I**, ora pro nob**Is**. – Gütige Jungfrau Maria, du bist dort auf dem Gebiet der Iria von Fatima erschienen, bitte für uns. - Variante: **Ma**ria **I**psa **I**n terr**Is** **Ir**iae **Fat**IMae **I**nfant**Ib**Vs **p**II**s** appar**VI**t. – Maria selbst ist auf dem Gebiet der Iria von Fatima frommen Kindern erschienen.

Korrektur:

2022* **VIV**at**Is**, q**V**aeso, **Ma**tres **p**lae a nob**Is** s**I**ne f**I**ne a**Ma**tae! – **Lebt** hoch, so bitte ich, ihr gütigen Mütter, von uns unendlich geliebt!

Zum 14. Mai, dem **Fest des heiligen Apostels Mathias**:

2022* **Ma**th**I**as test**Is** **Ve**r**V**s et egre**IV**s **VI**tae **I**es**V** e**X** **Co**ns**IL**io **Pe**tr**I** sorte **sp**Ir**It****V** **San**Cto aff**L**ante **Co**LLeg**Io** aposto**LIC**o **Co**LLat**V**s est, s**I**t nob**Is** **CV**stos et t**V**tor fort**Is**, oret pro tot**Is** nob**Is**. – Mathias, der als wahrhaftiger und hervorragender Zeuge des Lebens Jesu auf den Rat des Petrus in der Einwirkung des Heiligen Geistes durch das Los dem Kollegium der Apostel zugefügt worden ist, soll uns ein starker Schützer und Patron sein, er bete für uns alle! – vgl. Apg 1,26

Zum 15. Mai, dem **Fünften Ostersonntag**:

2022* **I**es**V**s **Ch**r**I**st**V**s pat**I**ens **Cr**V**CI** aff**IX**Vs est nob**Is** tot**Is** **LV**X atq**Ve** **Ve**ra eff**I**g**I**es **p**le**t**at**Is** et **MI**ser**IC**or**DI**ae **Tr**In**I**ta**Is**. - Jesus Christus, der am Kreuz angenagelt leidet, ist für uns alle ein Licht und ein wahres Abbild der Güte und Barmherzigkeit der Dreifaltigkeit.

2022* a**M**ate **V**os **I**ta, **V**t Ego **V**os ama**VI**. – <Jesus sagt:> Liebet euch, so wie Ich euch geliebt habe! – Joh 13,34



Quintin Massys, 1465/66 – 1550, Notgottes, linke Seite eines Diptychons, Alte Pinakothek, München, Foto Hildegard Schuhmann


MATTHIAS
 IVD AE ISCARIOTIS
 NOBILIS SVCCESSOR ELECTVS

MMXXII

Zum 14. Mai, dem **Fest des heiligen Apostels Matthias:**

2022* **MatthIas testIs VerVs et egregIVs VITae IesV eX ConsILIO PetrI sorte spIrItV SanCto affLante CoLLegIo apostoLICo CoLLatVs est, sIt nobIs CVstos et tVtor fortIs, oret pro totIs nobIs.** – Matthias, der als wahrhaftiger und hervorragender Zeuge des Lebens Jesu auf den Rat des Petrus in der Einwirkung des Heiligen Geistes durch das Los dem Kollegium der Apostel zugefügt worden ist, soll uns ein starker Schützer und Patron sein, er bete für uns alle! – vgl. Apg 1,26

Zum 18. Mai, dem **102. Geburtstag von Papst Johannes Paul II.:**





CaroL Iosef VVoItYLa In CIVItate poLoniensi VVaDoVice ante CII annos
 natVs est qVI postea eLeCtVs Ioannes PaVLVs II papa testIs IesV ChrIstI
 festInanter CVrrens paene CVnctas natIones LIberas orbIs VIstaVI atqVe
 Ipse sanCtIfiCaVs est - oret pro nobIs. - Carol Józef Wojtyła, der vor 102
 Jahren in der polnischen Stadt Wadowice geboren wurde, hat später nach seiner
 Erwählung als Papst Johannes Paul II. und Zeuge Jesu Christi in einem eiligen
 Lauf fast alle freien Nationen der Welt besucht und ist selbst heiliggesprochen
 worden; möge er für uns beten. – Das Chronnogramm spielt auf seinen
 Beinamen „der eilige heilige Vater“ an. – Carol Józef WoItyla - Johannes Paul
 II.: 18.5.1920 * Wadowice - 16.10.1978 Papstwahl – 104 Auslandsreisen - +
 02.04.2005 – 21:37 im Vatikan – 01.05.2011 seliggesprochen durch Benedikt
 XVI - 27.4.2014 heiliggesprochen durch Franziskus – Fest: 22.10 -

Zum 19. Mai, dem **Fest des seligen Abtes Alkuin:**

2022* VoX popVLI erIt totIs nobIs Vera VoX Dei nostrI, sCrIpsIt beatVs
ALCVInVs abbas sapiens CaroLo Magno et fortI regI sVo. – Die Stimme des
Volkes wird für uns alle die wahrhaftige Stimme unseres Gottes sein, schrieb
zu recht der selige, weise Abt Alkuin seinem Großen und tapferen König Karl.
- Alkuin, seliger, 730-805 – 19.5.804

Zum 22. Mai, dem **sechsten Ostersonntag:**

2021* DeVs est totVst DIVInVs aMor. – Gott ist ganz göttliche Liebe. – 1 Joh
4,9

**PIA HAEC CHRONOGRAMMATA
CONFECIT
PATER HERBERTUS DOUTEIL
BRASILIENSIS**

COETVS ET CONVENTVS ALF 'DE VRBE ROMA'

Theodericus Sacré sodalibus ALF s.d.p.

Ecce conventus moderatorum nomine ac iussu ordinem rerum in congressu ALF agendarum ad vos mitto; accedit nuntius de coetu annuo.

Spero quam plurimos vestros fore praesentes. Ceterum hortor vos ut Latinitatis cultores qui vobis innotuerint certiores faciatis de hoc conventu: qui si his rebus interesse cupierint, hospites erunt nobis grati! Unum ab eis petimus: ut Nicolao De Mico sodali nuntient quibus diebus sint affuturi.

Valete quam optime!

COETVS ALF ANNVVS

Die undecimo mensis Iunii:

Postmeridiano tempore: in monasterio S. Caeciliae Transtiberino:¹

- h. 15.00: Coetus generalis
- h. 18.00: Interstitium
- h. 19.30: Cena in regione Transtiberina²

CONVENTVS ALF 'DE VRBE ROMA'

Die duodecimo mensis Iunii

Matutino tempore: in aedibus Capitolinis

- h. 9.15 – 10: PRAESES, Conventus inauguratio
- h. 10 – 11.30: Orationes tres:³
 1. T. PEKKANEN, *Testimonia de urbe Roma selecta poetarum Latinorum*
 2. K. SMOLAK, “*Iam vacua ardet Roma*“ (Gregorius Magnus, *In Ezechielem*, libro II^o, homilia VI^a, lineis a 520^a ad 595^{am})
 3. M. CRISTINI, *Antiquitas decentius innovata. De urbe Roma sub dictione Gothorum*
- h. 11.30 - 12: Pausa cafearia
- h. 12-13.30: Orationes tres:
 1. A. MIRAGLIA, *De urbis Romae notione apud Petrarcam et alios humanitatis restitutores*
 2. I. MARCELLINO, *De Roma triumphante*
 3. C. LAES, *Drusus III sive de iuventute miserrima. Carmen Nelli Martinelli (1951)*
- h. circiter 13.30: Prandium⁴

Postmeridiano tempore: in monasterio S. Caeciliae:

- h. 15.30 – 16.30: Orationes duae:
 1. D. BLANCHARD, *De urbis Romae aeternitate et musica classica moderna*

¹ Consilium praesidiale habebitur hora 10.30 (ibidem).

² In caupona aliqua Transtiberina; sodales ALF invitabuntur.

³ Singulae sessiones suos praesides habebunt.

⁴ Fortasse in monasterio S. Caeciliae.

2. D. ALVAREZ GOMEZ, *Philelphus: homo profecto maioris aestimationis quam doctrinae*
 h. 16.30 - 17: Pausa cafearia
 h. 17 – 18: Orationes duae:
 1. Y. HASKELL, *De amore et (a)moribus Romae sive de carmine Ovidiano De vita urbana Francisci Grimaldi (Romae, 1725)*
 2. I. PASCUAL BAREA, *Cur Galenus in capitis vulneribus medendis Romanum morem secutus optima medicamenta non adhibuerit*
 h. 18 - 19: Acroasis musica (cantus Gregorianus)
 h. 19.30: Cena⁵

• **Die 13 mensis Iunii:**

Matutino tempore: in monasterio S. Caeciliae:

- h. 9.30 – 10.15: Cantus communis
 h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:
 1. V. CIARROCCHI, *De nonnullis inscriptionibus Latinis, quae cum Urbis historia forsitan iungi possint*
 2. G. LICOPPE, *Roma num sit vicesimo primo saeculo peritura*
 h. 11. 30 - 12: Pausa cafearia
 h. 12 – 13.30: Orationes tres:
 1. I. DALLA PIETÀ, *Pauca de Aegypto et Roma*
 2. N. DE MICO, *Urbem, quae omnium caput est (Passio Quirini Tegernseensis 6)*

3. D. DRAGNEV, *Sitne Roma caput mundi an in peripheria mundi? Accedat prospectus e Bulgaria*

- h. 13.30: Prandium⁶

Postmeridiano tempore: apud Pontificiam Universitatem Salesianam:⁷

- h. 16.30 – 17.30: Orationes duae:
 1. M. SAJOVIC, *De vita deque virtutibus Marcellae, viduae Romanae, quas Hieronymus Stridonensis in epistulis suis commemorat*
 2. T. SACRÉ, *De Leone X P.M. panegyricis annuis commemorato deque Henrici Chifellii (1583-1657) orationibus quibusdam ineditis*
 h. 17.30 - 18: Pausa cafearia
 h. 18 – 19.30: Orationes tres:
 1. R. SPATARO, *Utrum Constitutio Apostolica 'Veterum Sapientia' (MCMLXII) etiam temporibus nostris sit apta studiis Latinis fovendis*
 2. I. L. LIMA, *De urbis Romae itinerariis iuxta Carolum Egger et Cletum Pavanetto viros praeclaros*
 3. I. RUBINI, *“Opaca Fronde” sive de Musa Iaponica Urbem peragrante: vel de haicibus Latine pangendis*

- h. 19.30: Fabula scaenica

⁵ Fortasse in monasterio S. Caeciliae.

⁶ Fortasse ibidem.

⁷ Raeda longa in Univ. Salesianam vehemur.

- h. 20.15: Cena
 h. 22: Reditus in regionem Transtiberinam

• **Die 14 mensis Iunii:**

Matutino tempore: in monasterio S. Caeciliae:

- h. 9.30 – 10.15: Cantus communis
 h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:
 1. H. SILVESTRE, *Ibam forte via Sacra: Roma in versibus Horati et Martialis*
 2. P. MARONGIU, *Magistri Gregori narratio de mirabilibus urbis Romae: quo animo auctor urbis Romae maiestatem descripserit*

- h. 11.30 - 12: Pausa caefaria
 h. 12 – 13.30: Orationes tres:
 1. C. LYVENS, *Alma vox urbis Romae Latina, sive quid Roma Latinitati redivivae ineunte et mediante saeculo XX profuerit*
 2. M. LOCH, *De muneribus novi aevi sive de studiorum classicorum curriculis renovandis*
 3. I. C. ROSSI, *Qualis fuerit Urbs, quales civitatis consuetudines, qualis sermo cotidianus, me puero*
 h. 13.30: Prandium

Postmeridiano tempore: in regione Transtiberina et in monasterio S. Caeciliae:

- h. 15.30: Lustratio basilicae S. Caeciliae aliorumque locorum
 h. 19: Cena in monasterio S. Caeciliae
 h. 20.30: Acroasis musica (exhibebitur symphonia quarta Gustavi Mahler)

• **Die 15 mensis Iunii:**

Matutino tempore: apud Academiam Vivarii Novi:

- h. 9: Profectio in Academiam⁸
 h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:
 1. M. G. IODICE, *De insula Tiberina nominata in urbe Roma posita*
 2. R. REGTUIT, *Frisii ante portas*

- h. 11.30 – 12.00: Pausa caefaria
 h. 12.30 – 13.30: Orationes duae:
 1. G. GUZMÁN RAMÍREZ, [Orationis titulus postea nuntiabitur]
 2. A. WATANABE, *Mille viae ducunt Romam: Certamina nationum atque ordinum circa Iaponiam saeculis XVI et XVII*
 h. 13.30: Prandium

Postmeridiano tempore: apud Academiam Vivarii Novi

- h. 15: Lustratio villae Falconeriae
 h. 16 – 17.30: Orationes tres:
 1. T. TUNBERG (per rete), *Cur Marco Antonio Mureto, oratori et Gallo et Romano, quandam eloquentiae palmam deferre debeamus*
 2. M. MINKOVA (per rete), *De Ioanne Petro Maffeo scriptore Romano*

⁸ Raeda longa vehemur.

3. S. WEISE (per rete), *De Goethio elegiarum Romanarum scriptore et earum versionibus Latinis saeculi XIXⁱ*

h. 17.30 – 18: Pausa caefearia

h. 18 – 18.30: Oratio:

1. I. ARMELLA, *Duas res publicas animo complectamur: de veris Latinitatis confiniis eiusque per saecula perpetuitate*

h. 18.30 – 18.45: PRAESES, Conclusio Conventus

h. 19.00: Acroasis musica (canet chorus musicus ‘Tyrtarion’)

h. 20: Cena

h. circiter 22.30: Reditus in regionem Transtiberinam

DE CACTULO

Carmen notissimum quod scripsit Albertus Marcus (1906–1974); anno MMXXII in Latinum convertit Johannes Knijff*

Flores in horto –
tot tuliparum,
rosarum genera, narcyssorum –
solet habere
optima quaeque –
at quam sunt parvi aestimanda!

En cactus meus parvus
stat in solario,
holari holari holaro!

Quid opu'st mihi rosis,
quid papaveribus?
Holari holari holaro!

Si qui vir improbus
quid mali dicat mi,
tum peto meum cactulum
qui pu-pungit!

En cactus meus parvus
stat in solario,
holari holari holaro!

Talis puella
videtur, qualis,
quo maxime flos delectatur;
at tamen – inquam –
fieri nequit!

* cfr canticum originale: *Mein Kleiner Grüner Kaktus* - Comedian Harmonists
<https://www.youtube.com/watch?v=HyqzJTNcygE>

En lege quid sentiant ‚foristae‘: „Such a timeless classic! In a few hundred years, perhaps, when much is gone and forgotten, this will be one of the songs that will be remembered.“- „Note: no group has ever come near them. They are perfection. Thank you.“

Quid enim tum de me dicatur?!
 En cactus meus parvus...
 Quartâ vigiliâ
 pulsatur ianua!

Quis horâ hac me venit visum?!
 Dominus Urnus,
 vicinae domûs!

« Ignoscas, » ille « scire velim:
 « Ni fallor, 'st tibi cactus
 tu' in solario,
 holari holari holaro.

« Qui cecidit deorsum,
 quid putas hac de re?!
 Holari holari holaro!

« In meam lapsus est –
 mehercle – faciem!
 Iam scio, tuus cactulus
 quod pu-pungit!

« Conserves, quaeso, cactum
 post ali' in loco,
 holari holari holaro! »

* Gratiae agendaee sunt Ericaee Venatrici amicissimae, quae quidem prima mihi proposuit ut hoc carmen pulcerrimum in Latinum converterem sermonem JAN-PIET KNIJFF

**CANTILENAM CACTULI
 SCRIPSIT
 ALBERT MARCUS (1906-74)**

**PRIMUM CANTAVERUNT
 COMEDIAN HARMONISTS (1928-35)**

**A.2022 LATINÊ REDDIDIT
 IOHANNES PETRUS KNIJFF**

QUALIS FUT CAMERARIUS SELLAE FAMILIARICAE?




Scrpsit Sarah Bryson, Latine reddidit Leo Latinus

<https://www.tudorsociety.com/groom-stool-sarah-bryson/>

Munus Camerarii Sellae (*Groom of the Stool*) fuit in Rêgis Britanniae camerâ privatâ omnium summum. Mundus Rêgis constitit ex cameris interioribus et exterioribus, camera interior fuit camera privata. Eadem complectebatur multa conclavia, quorum erant etiam Rêgis cubiculum et latrina. In quibus conclavibus Rex dormiebat et legebat et commercia privata habebat. Ab historicis refertur munus Regiae Sellae Familiaricae (*Groom of the King's Close Stool*) fuisse unum ex muneribus aulicis maximi momenti. Camerarii Sellae erat curare Rêgis requisita naturalia. Îdem debuit curare sellam Rêgis familiaricam, quae aetate Tudorianâ appellabatur ‚*Stool*‘. Alvo vesicâque regalibus exoneratis eiusdem camerarii erat comparare aquam et pannos et pelvim lavandi. Docti inter se dissentiunt utrum camerarii Sellae fuerit ipsi posteriora Rêgis abstergere, alii sentiunt illius hoc fuisse, alii illius officia non spectasse ad rem tam laboriosam. Licet nobis hodiernis, qui putemus alvi exonerationem esse rem privatissimam, videatur talis responsalitas functionum corporalium regiarum esse perquam taediosa, sed homines aetatis Tudianae de hac re omnino aliter sentiebant.

Munus Camerarii Sellae fuit summum omnium, quae gerebantur in camerâ Rêgis privatâ.



Hoc munus primo apparuit Henrico VII regnante, cum îdem rex circa a.1495 crearet cameram privatam. Illo tempore hoc munus tantummodo spectaverat ad requisita Rêgis privata, sed Henrico VIII regnante auctoritas huius muneris vehementer exaucta est.

In Rêgis Camerâ Privatâ operabatur grex hominum, quorum praeceptor fuit Camerarius Sellae. Qui non solum curabat Rêgis requisita naturalia, sed etiam observabat alvi regalis exonerationem et cooperabatur cum medicis, ut consuleret valetudini Rêgis conservandae et morbis evitandis. Licet hoc videatur esse munus taediosum, tamen maximi momenti fuit Rêgem quam optimê valere, ut sciret regnum regnare quam efficacissimê.

Cum primo Camerarius Sellae nihil curabat nisi Rêgis requisita naturalia, processu temporis eius officia atque responsalitates sunt exauctae. Henrico VIII. autem regnante Camerario Sellae etiam mandatum est, ut moderaretur viris, qui Rêgi ministrarent in conclavibus eius privatis. Eiusdem Camerarii nunc etiam fuit monarchae adesse vestimenta induenti atque exuenti, administrare

sumptûs Regalis Bursae Privatae, prospicere securitati rerum Regalis Camerae Privatae impositarum, quales e.g. fuerunt adamas et catinus pretiosissimi, necnon praescribere, cui permetteretur et cui non permetteretur, ut accederet Rêgem in conclavibus suis privatissimis versantem. Praeterea Camerarius Sellae munere fungebatur Secretarii Regalis Privati. Dominus *Antonius Denny*, ultimus Camerarius Sellae, etiam honoratus erat magnâ responsalitate Rêgis Pistillum Siccum curandi. Quod pistillum adhibebatur ad nomen regalibus documentis supponendum.

Scilicet Camerario Sellae concessa esse habitacula ubicumque Rêgi placebat residêre eundem Camerarium accepisse Rêgis vestimenta suppellectilesque priores.

Fortasse tibi vestimenta iam gesta videntur esse dona minoris pretii, sed finge animo Rêgis vestimenta semper fabricata esse ex materiis subtilissimis, sericeis et pelliciis. Quae erant ingentis pretii et possessa Camerarii Sellae luxuriosissima.

Quamquam munus Camerarii Sellae non erat politicum îdemque non particeps erat conventuum Concilii Privati, tamen Camerarius Sellae erat maximi momenti et auctoritatis gravissimae. Nam tale munus summopere petebatur propter propinquitatem Rêgis. Quia camerarius Sellae saepe versabatur prope Rêgem ideoque poterat colloqui cum Rêge privatim atque familiariter. Saepe homines petitiones dabant Camerario Sellae rogantes, ut traderet Rêgi. Cum Camerarius Sellae de aliquo homine coram Rêge privatim loqui poterat favorabiliter aut non favorabiliter, vehementer valebat frui favore huius viri honoratissimi.

Elisabethâ I. autem regnante minimê decôrûm esse habitum est Reginam negotio privatissimo deditam adiuvari a viro. Itaque loco Camerarii Sellae mulier aliqua munere *Primae Dominae Cubiculi (First Lady of the Bedchamber)* honorata est. Cuius mulieris erat

curare Reginae requisita naturae eiusque vestimenta exuere et induere ceterisque mulieribus camerariis Reginae Camerae Privatae praeesse.

Ultimus homo titulo Camerarii Sellae honoratus fuit *Iacobus Hamilton*, alter Dux Abercornianus, futurus *Rex Eduardus VII*. Îdem Eduardus Rex cum factus esset hoc munus abolevit.

Ecce viri, qui Henrico VIII. Regnante functi sunt munere Camerarii Sellae:

- **Sir William Compton** – qui a.1528 tragicê mortuus est morbo *Sudoris Anglici*¹.
- **Sir Henry Norris** – Qui m.Maio a.1536 in vincula coniectus est propter scelera unâ cum *Annâ Boleyn* putativa commissa et supplicio capitali punita est in colle *Tower Hill*.
- **Sir Thomas Heneage** – Qui hîc munere functus est ab a.1536 ad a.1546.
- **Sir Anthony Denny** – Qui Henrico VIII factus est familiaris artissimê adiunctus et die 27. m.Ian. a.1547 responsalis fuit morti Rêgis annuntiandae.

FONTES

- Burns, William E. (2009) *Brief History: Brief History of Great Britain*, Infobase Publishing, New York.
- Byrne, Eugene (2013) Who was the last Groom of the Stool?, History Extra, viewed 26 February 2016, <http://www.historyextra.com/qa/royal-jobs>.
- Gywn, Peter J. (2011) *The King's Cardinal: The Rise and Fall of Thomas Wolsey*, Random House, New York.
- Hutchinson, Robert (2005) *The Last Days of Henry VIII*, Phoenix, London.
- Johnson, Ben, Groom of the Stool, Historic UK, viewed 26 February 2016, <http://www.historic-uk.com/HistoryUK/HistoryofBritain/Groom-of-the-Stool/>.
- Starkey, David (2002) *The Reign of Henry VIII: Personalities and Politics*, Random House, New York. <https://www.youtube.com/watch?v=vzdlglrF4Wo>

¹ https://en.wikipedia.org/wiki/Sweating_sickness: „Sweating sickness, also known as the sweats, English sweating sickness, English sweat or *sudor anglicus* in Latin, was a mysterious and contagious disease that struck England and later continental Europe in a series of epidemics beginning in 1485. The last outbreak occurred in 1551, after which the disease apparently vanished. The onset of symptoms was sudden, with death often occurring within hours. Sweating sickness epidemics were unique compared to other disease outbreaks of the time: whereas other epidemics were typically urban and long-lasting, cases of sweating sickness spiked and receded very quickly, and heavily affected rural populations.^[1] Its cause remains unknown, although it has been suggested that an unknown species of **hantavirus** was responsible.“

DE VILELMO COMPTON CAMERARIO SELLAE REGIS HENRICI VIII.

https://de.wikipedia.org/wiki/Groom_of_the_Stool



Sir William Compton munus Camerarii Sellae gessit Henrico VIII. regnante per septem annos. Qui fuit monarchae familiarissimus necnon multis aliis muneribus fungebatur, velut administravit castella *Warwick, Gloucester, Sudeley*. Eius successor fuit *Sir Henry Norris*, qui munere functus est per decennium, sed deinde gravissimâ offensione contractâ supplicium passus est capitale. Postea etiam sub Henrico VIII. munere Camerarii Sellae functi sunt.

Carolo II. regnante per viginti quinque annos *Sir John Granville*, postea primus *Comes de Bath* fuit Camerarius Sellae. *Georgius III.* tempore regnandi habuit novem Officiales Sellae, qui fuerunt Comites et Duces et Vicecomites.

Iacobus Hamilton, alter Dux Abercornensis, fuit ultimus Camerarius Sellae, ab a.1883 usque ad a.1901, deinde Eduardus VII. Sede regiâ ascensâ abolevit Regale Munus Sellae Familiaricae olim gravissimum.

Indicia singularia

- G.W. Bernard: *The Rise of Sir William Compton, Early Tudor Courtier*. In: *The English Historical Review*. Band 96, Nr. 381 (Okt. 1981), Oxford University Press, S. 754–777.
- 2. Eugene Byrne: [Who was the last Groom of the Stool?](#) History Extra, 2013.
- Claire Ridgway: [What is a Groom of the Stool? by Sarah Bryson](#). The Tudor Society, 2017.

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Der heilige Pankrätius

* um 290 in Phrygien

† um 304 in Rom



SANCTVS PANCRATIVS
ADVLESCENTVLVS PIVS
ATQVE
CHRISTIANVS EXCELLENS
SVB REGNO DIOCLETIANI
OBTRVNCA TVS
MMXXII

Johann Baptist Reichhart

* 29. April 1893 in Wichenbach bei Wörth an der Donau

† 26. April 1972 in Dorfen

JOHANN BAPTIST REICHHART war ein deutscher Scharfrichter. Er war von 1924 bis 1946 staatlich bestellter Scharfrichter in Bayern und richtete insgesamt 3165 Menschen im staatlichen Auftrag hin. In der NS-Zeit richtete er auch außerhalb Bayerns zahlreiche Menschen hin, darunter viele, die wegen Widerstandes gegen den Nationalsozialismus zum Tod verurteilt worden waren, so auch die Geschwister Scholl. Nach Kriegsende setzte er seine Arbeit im Auftrag der Alliierten fort und vollstreckte 156 Hinrichtungen verurteilter nationalsozialistischer Kriegsverbrecher.



IOANNES BAPTISTA REICHHART
 QVINQVIIES SESCENTOS TRIGINTA TRES
 HOMINES SVPPLICIO AFFECIT

IOANNIS AC SOPHIAE SCHOLL
 CARNIFEX FVIT

QVINQVAGINTA ANNIS ANTE OBIIIT

AT ALBA ROSA RVRSVS FLOREBIT

MMXXII

JOHANN BAPTIST REICHHART hat 3165 Personen hingerichtet.

Er war auch der Scharfrichter von Hans und Sophie Scholl.



Vor fünfzig Jahren ist er gestorben –

während die „Weiße Rose“ wieder blühen wird.

Otto „Otl“ Aicher

* 13. Mai 1922 in Ulm

† 1. September 1991 in Günzburg



QVINGVIES VIGINTI ANNIS ANTE
III IDVS MAIAS NATVS
OTL AICHER
INGENIOSVS
EXCOGITATOR GRAPHICVS
TEVTONICVS


MMXXII

Am 13. Mai vor hundert Jahren wurde er geboren:
Otl Aicher, ein talentierter deutscher Grafikdesigner.

Otto „Otl“ Aicher

* 13. Mai 1922 in Ulm

† 1. September 1991 in Günzburg



VIGINTI LVSTRIS ANTE NATVS
OTTO VVLGO OTL AICHER
ILLVSTRIS EXCOGITATOR GRAPHICVS
AC
MARITVS SORORIS SOPHIAE SCHOLL
FORTIS PVGNATRICIS RESISTENTIS


MMXXII

Vor hundert Jahren wurde Otto „Otl“ Aicher geboren:
ein berühmter Grafikdesigner,
der verheiratet war mit der (älteren) Schwester
der mutigen Widerstandskämpferin Sophie Scholl.

Dietrich Fischer-Dieskau

* 28. Mai 1925 in Berlin

† 18. Mai 2012 in Berg



THEO**D**ER**I**CVS FISCHER-**D**IESKA**V**

PRAES**I**GN**I**S

CANTOR BAR**I**TON**V**S

THEO**D**IS**C**V**S**

ANTE B**I**S Q**V**INQ**V**E ANNOS

XV KAL. **I**VN**I**AS

E **V**ITA EG**R**ESS**V**S

M M X X I I


Am 18. Mai vor zehn Jahren
starb der ausgezeichnete deutsche Bariton
DIETRICH FISCHER-DIESKAU.

Frédéric Passy

* 20. Mai 1822 in Paris

† 12. Juni 1912 in Neuilly-sur-Seine

Gemeinsam mit Henry Dunant erhielt er 1901
den allerersten Friedensnobelpreis



QVATER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
XIII KAL. IVNIAS NATVS
FRIDERICVS PASSY
NOBILIS APOSTOLVS PACIS
PRAEMIO NOBELIANO LAVREATVS

MMXXII

Der berühmte „Apostel des Friedens“ und Nobelpreisträger
FREDERIC PUSSY wurde am 20. Mai vor 200 Jahren geboren.

Paul Baum

* 22. September 1859 in Meißen

† 15. Mai 1932 San Gimignano, Italien

Ab 1900 malte Paul Baum im Stil des Pointillismus („Punktmalerei“), einer Variante des französischen Neoimpressionismus. Er und Curt Herrmann gelten als die einzigen bedeutenden Künstler dieser Stilrichtung in Deutschland.



ANTE NONAGI^INTA ANNOS
 IDI^BV^S MA^II^S
 PA^VLV^S ARBOR
 PO^INTI^LL^ISTA TE^VTONI^CV^S
 IN I^TALI^A VI^TA C^ESSIT
 AETAT^IS S^VAE L^XXII

M M X X I I

Am 15. Mai vor 90 Jahren starb in Italien
 der deutsche Pointillist PAUL BAUM
 im Alter von 72 Jahren.

Jack Kerouac

eigentlich Jean-Louis Lebris de K  rouac

* 12. M  rz 1922 in Lowell, Massachusetts

† 21. Oktober 1969 in Saint Petersburg, Florida



ANTE QVINQVI ES VIGINTI ANNOS
IV IDVS MARTIIS NATVS
IACK KEROVAC
SCRIPTOR INCLYTVS
VIR INQVIETVS

MMXXII

Am 12. M  rz vor hundert Jahren wurde JACK KEROUAC geboren,
ein ber  hmter Schriftsteller und ein ruheloser Mensch.

**HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS R  SSLER**

NINA BURRI FEMINA SERPENTINA IN COLLOQUIO INTERROGATA



<https://www.ftmedien.ch/nina-burri-die-schlangenfrau-im-interview/>

[Simon Bertschi](#)

d.21. m.Mart. a.2022

Nina Burri est femina serpentina omnium quae nunc sunt natu maxima. Tamen haec mulier 44 annos nata nondum vult desistere ab arte suâ colendâ, immo eadem Bernensis etiam maiore cum industriâ nunc se dedit novis inceptis et professionis paedagogae motoriae discendae.

Mentum atque umeri pavimento sunt appressi, oculi in rectum defixi. Simul truncus corporis cum pedibus a corpore in altitudinem arrectus. Id quod describendo sonat positionem corporis quâ efficiuntur dolores infernales et fasciarum articulationumque laesiones gravissimae, *Ninae Burri* videtur exercitium commodissimum maximêque cottidianum. Haec enim *contortrix* vel *femina serpentina* huius mundi natu maxima cottidie exercet per quattuor horas, ut maneat elastica.

Haec mulier Bernensis hōc tempore gaudet, quod augetur numerus spectaculorum quae sibi mandantur praebenda. Sed etiam spectacula praebenda si desunt, *Nina Burri* minimē vexatur taedio temporis. Nam modo professionem discit paedagogae motoriae necnon iterum iterumque accipit mandata artem suam docendi. Necnon anno praeterito sibi ipsi invēnit disciplinam contorsionis maximē specialem et rarissimam: *sagittationem pedalem!*

NINA BURRI, medio mense Februario a Consilio Foederali (Helvetiae) magna pars remediorum (anti-coronariorum) sublata cum sit, scilicet denuo plures fieri posse eventūs atque spectacula cultualia. Tamen certē per aliquantum temporis exspectandum est, usque dum vita cultualis integra sit resuscitata. Haec cum ita sint, tune hōc tempore praecipuē praebes occasiones photographandi?

NINA BURRI: Ex quo remediorum statutae sunt laxationes, profecto statim nova mandata accepi, non sōlum occasiones photographandi, sed etiam spectacula et eventūs offerendos. Mensibus transactis numerus mandatorum mei effectu pandemiae remediorumque vehementissimē deminutus est.

Optimum exemplum impedimentorum pandemiā effectorum est melodramatium, c.t. «Leo, qui nescivit scribere» in Theatro Bernhardi Turicensi agendum, cuius particeps fuisti.

NINA BURRI: Hoc melodramatium Leoninum reverē est productio *coronaria*. Postquam idem ter egimus, a.2020 ineunte prima venit *unda coronae*, ut pausa interponenda esset. Cum denuo liceret eventūs fieri et proximae actiones iam essent praedispositae nosque paratae essemus ad exercitia facienda, subito nova facta est interruptio. Mensibus Decembri et Ianuario proximis praeteritis deinde nonnulla potuimus agere spectacula – at non usque ad finem, quia nonnullarum actricum proba coronaria evaserat positiva. Tamen

gaudemus quod mensibus Septembri atque Octobri fieri poterit, ut saltem partem spectaculi agamus retardatam.

Artifex cum sis liberê operans semper tibi curandum est, ut artificia tua maneant sat nôta, ne umquam tibi desint mandata. Temporibus solitis hoc fieri potest eventibus publicis, sed hôt tempore pandemiae nonnisi difficile factum est. Esne aliquo modo conata hanc difficultatem compensare?

NINA BURRI: Nequaquam. Erant quidam diurnarii, qui petiverunt colloquia, itaque non necessarium erat me convulsivê studere, ut manerem in ore hominum. Praeterea mihi non videbatur esse decôrûm me ad publicum prodire, ut simularem me esse maioris momenti quam alios artifices, quamvis mihi non plura restarent praebenda quam aliis. Mâlo diurnarios de me referre, si quid praebitura sum aut si quoquomodo agitur de arte meâ.



In cottidianâ quoque vitâ suâ *Nina Burri* non debet carere arte contorsionis exercendâ.

Nonne pausa coacticia primum tibi utilis etiam fuit ad relaxandum?

NINA BURRI: Pandemiâ ineunte post menses longos et labore plenos valdê fatigata eram et, si tardissimê, mense Iunio a.2020 sic quoque pausam interposuissem. Tamen non ita rectê fieri potuit, ut corpus et animum relaxarem, quia nimis incerta eram, quandonam perrectura essem ideoque mihi satis exercendum erat, ut semper parata essem. Tamen iucundum erat non semper itinera facere et vacare rebus creativis excogitandis et exspectare, dum laesiones parvae sanarentur. Primo perfructa sum tempore vacuo, sed aliquando cupivi huic vacuitati finem imponere.

Exspectasne te post nonnullas septimanas mensesque etiam occupatiorem fore, quia tibi necesse erat quaedam spectacula praebenda differre?

NINA BURRI: Verisimile sic fiet. Nuper compluries factum est, ut organisatrices me adirent dicentes se mihi iam ante biennium voluisse mandatum offerre, sed rogationem non ad effectum esse adductam. Praecipuê mensibus Maio et Iunio certê mihi erit plurimum agendum.

***Nina Burri*, sentisne te prius facilius passam esse irregularitates atque intensitatis variabilitatem?**

NINA BURRI: Non necessario hoc sentio. Potius mihi molestum fuit, quod propter incertitudines et subitas dilationes et negationes non potui incepta mea praedisponere. Praeterea doleo, si fieri non potest, ut probem, num nova elementa contorsionis technica apta sint ad usum scaenicum ideoque mihi plus minusve denuo incipiendum est, nam intensitas in exercendo numquam est aequa. Necesse est primo novis exercitiis assequi »duritiem scaenicam«.

Soles facere multa itinera. Ergo nunc propter programma deminutum per iucundum effectum secundarium saltim ab eâ parte laboris, quae tibi exanclanda fuerat, ut tibi mandares volatûs et pernoctationes, liberata es.

NINA BURRI: A mandatelâ itinerum pernoctationumque ferê totâ libera fui, quia si quod mandatum mihi fuit, emptores formalia mandandi ipsi fecerunt. Soleo talia ipsa curare, sed his temporibus peregrinari aliquanto factum est intricatius. Voluptas mea iter faciendi temporibus pandemiae deminuta erat.

Temporibus solitis quantum temporis tu teris laboribus mensae scriptoriae?

NINA BURRI: Soleo laborare per octonas horas in die: Per quattuor horas corpus exerceo et per quattuor horas sedeo ad computatrum. Accedunt exercitia, spectacula, occasiones photographandi.

Dicis te corpus exercere per quattuor horas in die. Quomodo hoc mente fingamus?

NINA BURRI: Primo agitur de corpore calefaciendo et laxando necnon de circulatione sanguinis incitandâ. Haec efficiuntur stationibus manualibus¹, exercitiis roboris articulationumque. Deinde sequuntur nonnulla elementa vigoris velut *flexiones genuum*. Postea exercitia *yogae*, denique contorsionis. Superextensiones etiam etiamque fiunt vehementiores. Contorsiones difficillimae sequuntur ultimo spatio triginta vel maximê sexaginta minutarum.

Operarisne variis sequentiis exercitiorum an exercitatio omni die plus minusve est aequalis?

NINA BURRI: Non sunt magnae differentiae, sed studeo aliquantum variationis exercitiis iniungere. Multum valet inter exercitium animum attendere, quia alioquin deminuitur productivitas. - Hôc tempore disco professionem paedagogae motoriae. Hac in institutione participandâ utor multis modis movendi

¹ **statiô manuâlis** angl. *handstand* – theod. *Handstand* – fr. *poirier* – hisp. *pino, parada de manos* – ital. *verticale (sulle mani)*. - cfr **flexiô genuum** angl. *squad* – theod. *Kniebeuge* – fr. *flexion sur jambes* – hisp. *sentadilla* – ital. *flessione delle gambe*. - cfr **flexiô brachiâlis** angl. *push up* – theod. *Liegestütze* – fr. *pompe* – hisp. *flexión de codos* – ital. *flessione (sulle braccia), piegamento*.

variis. Iisdem etiam alii muscoli contrahuntur, quo etiam melior fit contorsio mea. Alii contortrices frequentant gymnasterium¹.

Si quo die non exercuisti, sentisne hoc postridie?

Post spectacula intensiva aut animi intentionem, brevis pausa interdum prodest.



Nina contortrix adolevit in vico Wabern prope Bernam sito.

At melior quam inertia est regeneratio activa, velut brevi sessiuncula *yogae* aut ambulatiuncula aut evolutio corporis cylindro nigro (*black roll*) facienda. Generaliter uno die in septimanâ vacare soleo.

Quatenus exercitium per annos mutando excoluisti?

NINA BURRI: Iterum iterumque fiunt accommodatiunculae; laesiunculis affecta semper ex me quaero, quidnam mutare possim,

¹*gymnastērium, -ī n. *Fitnesscenter*.

ut tales in futurum evitem. Etiam *physiotherapeutriae* atque collegae me in hac re multimodis adiuvere sciunt. Etiam mediis socialibus frequentandis possum inspirari.

Generaliter hominibus artem contorsionis exercentibus quantum imminet periculum laesionum?

NINA BURRI: Non ita magnum. Sed quibusdam in scholis iterum iterumque fit, ut parvuli a magistris quamvis dolentes premento cogantur ad quasdam positiones habendas, quo laesiones possint fieri. Mihi semel hoc accidit, ut quaedam magistra pelvim meam etiam etiamque porro premeret, quo postea aliquamdiu ex coxendice laborarem. Certis circumstantiis, qualia sunt pavimenta frigida aut musculi parum calefacti, periculum laesionum augetur.

Quoties necesse est te interponere phases regenerandi, praesertim cum plura spectacula obtuleris unum post alterum sine pausâ sequentia?

NINA BURRI: Si ita est, deminuo exercitia quam aptissimê. Praeterea conor corpus meum regenerare malaxando aut excitare balneo fervido et statui meo corporali accommodo nutrimenta, respiciens quoque supplementa nutrimentorum. Necnon somnus bonus est maximi momenti.

Quam accuratê soles animum attendere ad rationem nutriendi satis aptam?

NINA BURRI: Quam accuratissimê. Processu temporis exploravi, quae nutrimenta mihi prosint et quae noceant. E.g. additamenta sacchari nocent articulationibus. Interim etiam experta sum, quando mihi liceret frui cibo aliquatenus nutrimentosiore.

In publicum etiam prodire soles sollemnitatum privatorumque conviviorum particeps. Habesne in talibus eventibus programma

aliquid certum et generale an programma tuum specialiter adaptas ad singulos eventûs, praesertim, si acroasis tibi est facienda?

NINA BURRI: Alterum soleo facere. Ex emptoribus, qui nil certi praescribunt, quaero, quales futuri sint spectatores, ut eligam aptos actûs spectaculi. Si facio acroasin, praebeo antea spectaculum, quod est solito brevius, sed utile ad argumentum acroaseos praeparandum, ut spectatores sciant, de quibus rebus postea locutura sim.

Praeterea praebes officinas artis tuae. Quales res fundamentales auditoribus in talibus officinis explicas?

NINA BURRI: Praecipuê ibi agitur de rationibus, quibus homines fiant mobiles et maneant. Pro facultate participum exercitia interdum etiam elementa continent contorsionis. Sed plerumque agitur de fundamentis, e.g. explico, quomodo discatur *divaricatio* et quid respiciendum sit in *positione pontis* descendâ. - Nonnulli etiam nesciunt, quomodo musculi rectê tendantur. Parvuli saepe sunt indole aptâ praediti, sed multae motiones eorum sunt corrigendae.

Imbuisne parvulos etiam praeceptis agendi generalibus? E.g. dicisne iis, ut corpora moveant pro eo ut semper tantummodo dorso incurvato oculos torpidos in *visificio sophophoni*¹ defigant?

NINA BURRI: Imbuo. Conor iisdem explicare non esse necessarium, ut cottidie programma totum exercendi absolvant, sed minimum per 15 vel 20 minutas in die se dedant corpori exercendo. Praeter talia praecepta studeo eos adhortari, ut semper confidant facultatibus suis, ne umquam desistant a re firmê sibi propositâ neve desinant laborare ad eandem rem assequendam. Multi omnia simul volunt assequi et post duas iam septimanas voluptate amissâ desinunt studere. At si quis in initio parva tantum petit, celeriter progredietur, quo augeatur eius voluptas rei agenda.

¹ **vīsificium* **sophophōnī* i.q. angl. *display of smartphone* - theod. *Bildschirm des Handys*

Modo commemorasti elementa nova. Quomodo fieri potest, ut post 14 annos, quibus arti contorsionis te dedisti, spectaculis iterum iterumque nova interponas?

NINA BURRI: Ideae scaenam exornandi a variis hominibus mihi allatae sunt, velut ante duos annos quidam choreographus mihi suasit, ut spectaculum coniungerem cum mascâ gerendâ. Novo elemento scaenico accepto muginor, quonam modo idem adhibeam. Aliquando quidam conventu photographandi a me praebito ea me quaesivit, num positione contorsionis factâ pedibus et arcu usa scirem iaculari sagittam. Quod cum numquam conata essem, ambitione affecta cupivi talem sagittationem discere. Exercitatrice conductâ novum praeparavi spectaculum scaenicum. - Novae enim ideae mihi desunt numquam sive agebatur de rebus theatricis sive technicis sive saltatoriis. In praesenti praeparamus spectaculum *mutationis celerrimae*, quo in scaenâ rapidê vestimenta exuuntur et induuntur.

Artem sagittationis pedalis¹, i.e. rationem, quâ pedes adhibeas ad sagittam arcu iaculandam, proximo demum anno praeterito inventam didicisti. Quamdiu tibi haec ars exercenda fuit, usque dum eandem aliquatenus calleres? Nam eidem certê infuit difficultas quaedam motiones coordinandi tibi nova.

NINA BURRI: Non ita diu. Difficultas huius artis maxima est collineatio satis accurata. In scaenâ haec res eo difficilior est quod fit *adrenalino* effuso. E contrario non ita difficile fuit *stationem manualementem* arcumque tenêre stabiles.

Scisne, quot homines ubique terrarum hanc artem calleant?

NINA BURRI: Scio decuriam ferê hominum hanc artem exercentium, sed verisimile est praeter eos exstare aliquot alios. Sunt duo tresve petauristae mihi noti, qui praecipuê tractant sagittationem

¹ *sagittatiō pedālis* i.q. theod. *Fußbogenschießen*, theod. *footarchery*.

pedalem. Nôvi alteram mulierem Helvetiensem hanc artem exercentem.

Interim sedem tuam denuo in Helvetiam transposuisti. Sed antea iam habitasti *Miami, Tochii, Pechinii, Parisiis*. Ubinam habitare maximê tibi placet?

NINA BURRI: Urbs *Berolini* interim mihi facta est altera patria. Ex a.1995 ibidem iterum iterumque et in summâ per octo annos habitavi. Hanc urbem diligo tantâ creativitate tantâque scaenâ cultuali insignem. Velim ibidem etiam in futurum me dedere quam plurimis inceptis. *Miamense* quoque tempus pulchrum mihi fuit, sed ibidem habitans semper mihi visa sum ferias agere. *Novi Eboraci* magis mihi visa sum domi habitare, quia haec metropolis magis redolet modum vivendi europaeum.

Ubi extra Helvetiam habes plurimos fautores fanaticos?

NINA BURRI: Hoc nescio. Sed aliquando certior factus sum in aliquâ regione *Iraniae* permultos homines me nosse, quamquam numquam ibi versata sum. Hoc videri eo effectum esse, quod nomen meum gentilicium sonaret linguam persicam. Quacumque ratione multos Iranianos illius regionis credere patrem meum esse ex Perside oriundum meque esse eorum conterraneam.

***Nina Burri*, quonam impetu commovêris, ut tantâ cum perseverantiâ adhuc tanto temporis utaris ad contorsionem exercendam?**

NINA BURRI: Hac arte valdê delector. Praeterea his duobus annis perpauca praebere potui spectacula et displicuit mihi curriculum honorum tam diuturnum inter discrimen finire. Semel etiam artem meam facere velim quam studiosissimê et minimum adhuc per duos annos professione fungi contortricis.

Nisi iam contorsionem facies professionis causâ, omni modo a tuâ arte desistes?

NINA BURRI: Nequaquam. Exercitia mea vehementius diligo iisdemque egeo compensandi causâ, quam ut eadem simul omnia desinam facere. Tirocinium meum paedagogiae motoriae adhuc durabit per tres annos et dimidium. Deinde mihi erunt multae facultates, e.g. potero praeberere greges iuniorum et seniorum instituendos necnon formam mixtam therapiae et exercitationis aut disciplinam tractare psychiatricam. Itaque sic quoque non desinam corpus exercere, ut pergam quam optimê valere.

Hodie adhuc esses contortrix, nisi aetate triginta demum annorum coepisses hanc artem exercere?

NINA BURRI: Hoc nescio. Contortrices similiter ac saltatrices solent habere triginta quinque maximum annos. Ubique terrarum duae tantum sunt contortrices, quae sint maiores natu quam ego. Si quis iam aetate praeiuvenili hanc artem exercere incipit, fortasse aliquando aliquid aliud cognoscere vult, feminae etiam solent ex se quaerere, utrum infantem parere velint necne. Ego autem cum sêro demum inciperem artem colere contorsoriam, de prole non iam cogitavi.



In orbe terrarum non multi sunt homines *sagittationis pedalis* periti.

Ninae Burri curriculum vitae

Nina Burri (44 annos nata) adolevit in vico *Wabern* Bernensi. Quae est femina serpentina omnium adhuc activarum totius mundi vetustissima. Nina aetate sex annorum coepit institui arte ballatiunculae. Praeterea eadem puella instituta est melodramatiis agendis, postea frequentavit multos cursûs atque officinas artis theatrae et histrioniae institutorias.

Ab a.1995 usque ad a.1998 Nina Burri frequentavit Scholam Ballatiunculae publicam Berolinensem et facta est «saltatrix scaenica publico examine probata». Aetate 30 annorum statuit, ut in Chinâ absolveret institutionem

contortricis sive feminae serpentinae. Ad hunc finem assequendum Nina sex mensibus exercuit per octo horas in die.

Praeter artem contorsoriam Bernensis haec mulier muneribus fungitur histrionissae et cantriciis melodramaticorum et modellae* et moderatricis. Ninae vestes professionales consuuntur a *Claudiâ* sorore suâ. In spectaculis televisoriis ingenii probandi haec mulier mirabilis multis in terris in claritudinem pervenit: in Helvetiâ, Francogalliâ, Civitatibus Unitis, Germaniâ, Italiâ et a.2013 Nina iter fecit professionale unâ cum petauristis** circensibus gentis *Knie* illustrissimis.

In petauristarum conventu sollemni, c.t. «*Artistika Hope*», *Nina Burri* propter opus suae vitae est honorata. Quae cum divortium fecerit, ex anno ineunte cum *Marco Desimoni* consorti suo in oppido *Lachen* Helvetico convivit.

<https://www.youtube.com/watch?v=8jAskfDPGos>

Nina Burri im "Toptalk" von Teletop 2015 mit Contortion Show

<https://www.youtube.com/watch?v=6ftnLbOA7HU>

Schlangenfrau Nina Burri - Finalauftritt DGST 2011 - [#srfdgst](#)

**COLLOQUIUM INTERROGATORIUM
CUM
NINA BURRI
ADMIRABILI
CONTORTRICE
SIVE
FEMINA SERPENTINA
FACTUM
IN LATINUM CONVERTIT**

* **modella**, -ae f. theod. *Model*, *Mannequin*, cfr ital. *modella*.

** **petaurista**, ae f.: cfr ThLL 10.1.2, 1933,54-69, s.v. **petaurista**, ae m. πεταουριστής...1. proprie significatur athleta, saltator, qui fere petauro utitur... 1934,8-12 **petaurum** et **peteurum**, -ī n. Πέταυρον... 1 proprie significatur machina vel instrumentum, quo athletae, saltatores sim. Utuntur (sc. ut fere iactentur in aerem vel motu alternante sursum deorsumque ferantur; de re disputatur...

ECHUS VOCES EPISTULAE

CAROLUS LYVENS LITUANUS

D.12. m.Maii a.2022 h.13:22

Nicolaus Carolo suo Lituano Latinissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Scias me tibi subirasci, quis nondum respondisti epistulae prolixae, qua rettuli tibi de Orbe Picto Hexaglotto. Accepistine heri multa nocte Epistulam Leoninam novissimam (EL 260)? Eidem inest THESAURUS LATRINITATIS VIVAE, glossarium scatologiae Latinae abundantis-simum, quod immenso labore ex fontibus abunde scaturientibus exhausti, collegi, in ordinem digessi. Scribas mihi quidquid in buccam tibi venerit. Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

Carolus Nicolao suo s.p.d.

Respondebo brevissime, ut scias me vivere et Tibi favere. Ignoscas morae meae – certe rescribam, sed adhuc non est facultas mihi data ut responderem sic ut vellem. Hisce diebus versatus sum in Vivario Novo et multa illic facienda erant, multam materiam mihi colligebam ad thesin doctoralem scribendam. Modo reversus sum. Mihi in mente est ad epistulam tuam prolixam respondere simili modo – habeo quid dicam non solum de quaestionibus lexicographicis, sed etiam de quibusdam aliis quae nos vexant. Tuam recentissimam epistulam mox legam, nunc autem, quoniam agis de scatologiā, habeas librum quendam de hac provinciā studiorum (exstat!) quem nuper invenerim – illic inter alia scribitur de Poggii Braciolini Facetiis. Fortasse Tu quoque iam legisti. Fac quam optime valeas!

Nicolaus Carolo suo sal.pl.

Tandem mittis indicium vitae! Iam timui, ne quid incommodi in Britannia passus esses. Summas gratias, etiam pro litteris missis. Semper laudo scientiam tuam bibliographicam uberrimam quae nobis Latinophilis est pretii ingentis. Quod attinet ad thesin tuam, exopto tibi, ut quam optime succedat! Si vacabis, refer mihi de argumento quod tractas. Vale semper, et occasiunculam si nactus eris, scribe quam plurima quae tibi in buccam venerint. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

D.12 a.2022 h.06:19

Nicolaus Paulo suo sal.pl.dic.s.v.b.e.e.v.

Accepistine heri multâ nocte Epistulam Leoninam novissimam (EL 260)? Eidem inest THESAURUS LATRINITATIS VIVAE, glossarium scatologiae Latinae abundantissimum, quod immenso labore ex fontibus abundê scaturientibus exhausti, collegi, in ordinem digessi. Scribas mihi quidquid in buccam tibi venerit. Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus.

d.13. m.Maii a.2022 h.03:37

Paulus Nicolao s.d.

Legi Orbis Picti Hexaglotti Introductionem et Exempla Glossarum et Exempla Picturae Nomina et Indicem Contentorum, quae praeterita hebdomade miseras et quae digna plausu iudicavi. Igitur tibi gratulor.

Jam vero de dictionariis conficiendis pauca generatim dicere velim: verus verborum sensus pendet e tribus causis: et ab origine etymologica et ab usu, quo Latine loquentes usi sunt et utuntur, et a verborum contextu sive determinata paragrapho, a quovis scripta, ubi sensus tandem specificus definitur.

In Orbe autem Picto originem comperimus ex auctoribus probatissimis, qui vel ex lingua Latina vel ex alia expedite eandem nos docent; usus autem commode invenitur in paragraphis citatis; quapropter dictionarium latinistis auxilium quam utilissimum fore ominor.

Duo parva menda ostendam: -comperies me sedule legisse- in Introductionis pagina fere 7^a legitur “In INDICE allatae sunt omnes notiones graviores Lexici in *ordinem alphabeticam* digestae”; Latine “ordo” est generis masculini non feminei; insuper in pagina 8^a legitur “nonnulla exempla cuiusdam *generisrecepta* sunt”; hic oportet seponi generis a recepta; praeterea in EXEMPLIS VOCABULORUM EX ORBE PICTO HEXAGLOTTO EXCERPTIS, ubi agitur de verbo (Germ.) “Einsteigetreppe” (Hisp.) “estribo”, translato pro *scālula īncēnsiōnis, cur contemnuntur stapia (-ae) vel stapes (-idis)? Haec sunt verba antiqua et nempe Latina quamvis ut videtur vulgaria.

Stapes, -edis, m.: ‘ubi stat pes’, quo equites facilius in equum ascendere possint; etiam ‘stapeda’ (-ae) vel ‘stapia’ (-ae); vide Blánquez : Diccionario Latino-Español, 5^a ed. Ed. Ramón Sopena, S.A. Barcelona, 1960, Vol.II “K-Z”, vide etiam: Del Col, José Juan: Diccionario Auxiliar Español-Latino, para el uso moderno del latín, Instituto Superior Juan XXIII, Bahía Blanca, Argentina, 2007.

Recte dixisti “accēnsiō, -ōnis” f.680 Zündung – ignition – explosion – explosión – esplosione, de tertio quattuor temporum, quae habet motrum autocineti quadritemporale: assuctio – compressio – accensio –expulsio”.

Tamen non inutile sit quaerere alia eiusdem rei verba, quae anno 1968 excogitata sunt, vel “aditus sive admissio”, “compressio”, “tempus motorium”, “exitus”. Sic legitur in ephemeride Voce Latina, MDCCCCLXVIII, in parte secunda, pagina 48, de motoriiis tetrachronis, quae symbola a C. I. Mysca et P. B. Hypeau proposita est. Certe non es adductus ut haec verba olim excogitata accipias, sed semper est utile ea cognoscere.

Accepi EL 260, quam ilico legam.

Tibi denuo gratulor ob dictionarium hexaglottum, quod tam amplum opus est, ut unum vel duo verba discrepantia non possint totum opus -accuratissime nempe scriptum- ullo modo obscurare. Cura ut valeas.

Nicolaus Paulo sal.pl.

Summas gratias tibi ago, care Paule, quod introductionem et exempla Orbis Picti Hexaglotti tam subtiliter perspexisti. Commendationes tuas proxima in Epistula Leonina publicabo et grato animo adhibebo ad opus meum perficiendum. Bene spero te paratum fore ad multa alia colloquia epistularia mecum habenda de hoc opere emendando. Optime vale. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus.

NAEVIUS SARTORIUS

d.14. m.Maii a.2022 h.12:24

Care amice, revera Thesaurus Latrinitatis mihi valde placet. Ut scis, in nostris temporibus modernis decet semper tacere de his rebus, decet non disputare de latrinitate et paene de omnibus rebus spectantibus ad latrinam [Iapones etiam student opprimere strepitus, qui in latrina oriri possunt, musica radiophono emissa]. Semper putabam – et adhuc puto – hoc falsum esse, omnes aspectus digestionis graves esse.

Cur tam raro legimus de digestionem virorum Romanorum clarorum? Eratne illis philosophis, illis politicis bona vel mala digestio? Eratne illis timor consilii gravis capiendi efficiens tormina stomachi? Sentiebantne illi homines praeclari contractiones intestini publice orationem habentes? Spectatores audiebant et olfaciebantne flata eorum? Scisne Anglicanos instituisse munus spectans ad latrinam? Quod profecto in latrina expletum est. Nominatum est „Groom of the Stool“: https://de.wikipedia.org/wiki/Groom_of_the_Stool Ille „Groom“ fuit intimus cubicularius monarchae Britannici. Regem in latrina – in cacando [excusa!] – adiuvabat et anum purgabat. Nisi fallor, hoc munus erat magnae auctoritatis. Vale semper **Naevius.**

Care Naevi, gratias ingentes! Placet mihi tua Latrinitas. Maximê placent ea quae mihi pandis de munere Aulae Anglicaee latrinario. Libenter epistulam

tuam divulgabo. Vale pancraticê, utinam dies Saturni Solisque degas iucundissimê! Medullitus te salutat **Leo**.

JOANNES CAROLUS ROSSI ARCHITECTUS MEDIOLANENSIS

d.12. m.Maii a.2022 h.12:13

Nicolaus Joanni Carolo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Scias me tibi subirasci, quod nondum respondisti epistulae meae prolixae, qua dixi de Orbe Picto Hexaglotto meo. Num heri multa nocte accepisti Epistulam Leoninam novissimam (EL 260)? Eidem inest THESAURUS LATRINITATIS VIVAE, glossarium scatologiae Latinae abundantis-simum, quod immenso labore ex fontibus abunde scaturientibus exhausti, collegi, in ordinem digessi. Hoc opusculum laboriosissimum volui tibi dedicare, sed non ausus sum, quia nescivi, num hoc tibi placeret, care sodalis. Epistula tua inest eidem cimelio Latrinitatis duobus locis, inest etiam poema Lutheri Latinum, quo me benigne laetificasti. Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.14 m.Maii a.2022 h.13:23

Joannes Carolus Nicolao s.

Dabis mihi, Nicolae optime, excusationis veniam, si quandoque dormire tibi visus ero... Causae sunt multae, grandaevus quum sim, neque omnes ad desidiam referuntur, aut, quod absit, ad inofficiosam asperitatem, sed longum est hic omnes eas recensere.

Hanc autem velim scias: quotienscumque thesaurum tuum inspicio, doctum, elaboratum, locupletem, cui manus admovisse non hominem unum, quamvis eruditum, sed legionem litteratorum putes, mihi redit in mentem officinae theobromati conficiundo, quam ante multos annos prope Barisium seu Barentium in finibus Langobardiae inviseram.

Ibi enim non modo nares odore suavissimo perfundebantur e longinquo, sed oculi quoque tam ingenti copia cuppedinum veluti fatigabantur, quam numquam totam gustare te posse probe sciebas! Aspectu enim olfactuque delenitus gustus, rerum mole ipsa frustrabatur!

Idem fit in epulis lautioribus, ubi fercula innumera ministrantur, quae nedum vorare at ne libare quidem summis labiis tibi liceat!

Ac quidem satis mirari non queo qui deus tibi otium tempusque ad tantum opus perficiendum suppeditarit, nisi forte ipsum Saturnum ex intermundiis revocasti.

Vides ergo cur, quamvis haud semel per te invitatus, ut iudicium de lexico facerem, pedem tanta mole veluti oppressus rettulerim.

Contra autem - fateor enim - uno haustu glossarium scatologicum voravi, nihil deterritus a materia tam fecunda ac laeta... et gloriae mihi magis duco quam pudori, quod has industriae tuae fruges mihi dedicare erat tibi in animo.

Inter multa, quibus valde sum delectatus, didici *cossim*, seu *coxim*, quod adverbium numquam legens offenderam, neque admiratus non sum sensum peculiarem verbum *foetendi* (cfr Plauti *Casina* 717), qui retinetur in sermone vernaculo Romanorum, qui nunc sunt, ac latius apud ceteros Italos vulgatum est; tibi praebeo exemplum: *il tuo discorso mi puzza* (ut reddam Plautinum *foetet tuos mihi sermo*), auribus Italorum idem sonat quod antiquitus, hoc est inest sermoni tuo aliquid fraudis, cujus odorem percipio.

Haec habebam de Thesauro quid referrem. Scito autem me in morbum coronarium nuper incidisse, etsi jam ter serum vaccinium injectum erat mihi, sed levi tussi ac pituita laboro, neque diu febris mansit. Antequam domo, ubi relegatus sum, exeam, oportebit ut immunitas mea probetur. Patienter feram... Adjumento sunt vero neptis, nurus, *canicurus et famulus, ut pro me canem cacatum mictumve certis intervallis foras deducant.

Vale multum, industrie amice!

Nicolaus Joanni Carolo sal.pl.dic.

Summas gratias, care Joannes, pro laude tuâ thesauri mei. E sermonis tui elegantia et opulentiâ metaphoricâ clarê apparet te non esse sectae Zenonis tristiculae asseclam, sed discipulum Epicuri verum atque genuinum. Gratias quoque ago pro exemplo sermonis patrii allato, quo saepe adiuvamur testimonia sermonis Latini cottidiani interpretantes. Quod dicis te in morbum incidisse, tibi toto ex corde, care amice, exopto ut reconvalescas quam maturrimê. Porro dicis te aegrotantem curari a quattuor hominibus; bene est, iusto meritoque gaudes tetrade adjuvantium; tamen deest tibi quintus minister, qualis olim fuit regibus Britanniae: GROOM OF THE STOOL. Scisne qualis fuerit? Lege de hâc munere gravissimo in appendice quam huic epistolio subiunxi. Pancraticê vale, mi care Joannes Carole, et vive feliciter. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**.

J.Carolus, Epicuri porcellus, Nicolao inimico Zenonis suo salutem!

Velim qua es linguarum notitia fusius mihi explices quid in vocabulo *stool* proprie subintellegatur. Scimus enim Britannici sermonis volubilem polisemiam... Adhibetur *stool*, quantum conjeci e lexicis, quum ad merdam ipsam significandam, immo genus merdae durius, quod Anglice appellant *turd*, tum et ad sellam familiaricam, in qua hoc aliudve genus sordium immitti solent cotidie. - Incertum ideo est utrum *Groom of the stool* significet culi regii an matellae detersorem. - Habeto tamen pro certo me tali famulicio nondum

egere... Ceterum quaternio, cujus habui mentionem in litteris superioribus, nihil curant nisi canem, iliusque colligunt, siquando est opus, merdas, non videlicet meas, essetque propterea illorum munus appellandum potius *Groom of dog stool*....Cum ipsorum pace dixerim... **Vale iterum!**

Nicolaus Joanni Epicureo sal.pl.

Ut infra videbis, care sodalis, verbum anglicum, q.e. *stool*, est eiusdem stirpis ac theodiscum q.e. *Stuhl*, et significat sensu originali i.q. *sella*; ab Anglis medicis (qui non tam directê loqui voluerunt, ut uterentur verbo *turd*) **inde ex anno 1530 per metonymiam euphemicam merda quae inest sellae familiaricae (*bowel movement*, v. infra), denominatur *stool***. Per eandem metonymiam medici theodiscê loquentes excrementa sellae familiaricae imposita appellant *Stuhl*. - Tamen *stool* generaliter hodie est i.q. theodiscê *Hocker*, velut *Barhocker*, i.e. sella angusta et praealta ad mensam cauponae venaliciam apposita. Theodiscê *Stuhl* est i.q. anglicê *chair*. - Quod attinet ad munus aulae Britannicae prioris eiusdemque muneris titulum, puto hunc titulum spectavisse ad utramque rem, i.e. ad sellam familiaricam et ad merdam regiam eidem impositam. Refertur îdem camerarius habuisse etiam 5 subadiuvas (respice e.g. regem Henricum VIII. ponderis corporalis fuisse enormis!). Tamen pro certo habeo illum GROOM OF THE STOOL semper fuisse proximum REGI MAIESTATI cacanti. Ne obliviscamur talem propinquitatem rêgi ipsi fuisse periculosam. Itaque oportuit hîc munere ne fungeretur ullus vir nisi fidelitate et taciturnitate omnium probatissimus. Scilicet talem virum fuisse etiam omnium camerariorum potentissimum et omnes in aulâ versantes ei summo cum studio blanditos esse. Quid tibi videtur? Vale semper, *o et praesidium et dulce decus* philosophi hortulani. Medullitus te salutat Leo Latinus.

<https://www.dict.cc/englisch-deutsch/stool.html>

stool

[Hocker {m}](#)furn.

[Stuhlgang \(m.\) med.](#)

[Schemel {m}](#)furn.

[Arbeitsessel {m}](#)furn.

[Bank {f}](#) [[Innenfensterbank](#)]archi.furn.

[Schössling {m}](#)bot.

[Stockerl {n}](#) [[österr.](#)] [[bayer.](#)] [[Hocker](#)]furn.

[Baumstumpf {m}](#) [[mit Wurzelschösslingen](#)]bot.

[Sitzhocker {m}](#) [[Stuhl ohne Lehne](#)]furn.

[Schamerl {n}](#) [[österr.](#)] [[südd.](#)] [[Schemel](#)]furn.

[Wurzelstock {m}](#)bot.

<https://www.etymonline.com/word/stool>

stool (n.)

Old English stol "seat for one person," from Proto-Germanic *stōla- (source also of Old Frisian stol, Old Norse stoll, Old High German stuol, **German Stuhl** "seat," Gothic stols "high seat, throne"), from PIE *sta-lo-, locative of root [*sta-](#) "to stand, make or be firm." (source also of Lithuanian pa-stolas "stand," Old Church Slavonic stolu "stool"). - Originally used of thrones (as in cynestol "royal seat, throne"); decline in sense began with adoption of [chair](#) (n.) from French, which relegated stool to small seats without arms or backs, then to "privy" (early 15c.) and thence to "**bowel movement**" (1530s).

ANSGARIUS OSLOENSIS

D.15. m. Maii a.2022 h.10:39

Salvus sis, Nicolae! Glossarium scatologicum, quod nobis misisti in ultimis commentariis periodicis Leonis Latini, certe studium movet. Saepiuscule enim fit, ut rationem vocabulorum, quae ad humana et spurciora spectant, philologi et historiographi minime habeant. Pudicitia id genus praesertim invenitur apud maiores nostros saeculi duodevicesimi, cum fundamenta philologiae et historiae rerum gestarum iacta sunt. Bene etiam fecisti quod enodationibus doctissimis nonnullos iocos leviter immiscuisti. De imperatore Francogallorum Emmanuelli, verbi causa. Risum quoque movit definitio latrinitatis, quae cogitationem in Rabelaesum, scriptorem non minus lepidum quam merdosum, qui scolasticos et sorbonicolos in iocum facete vertit. Capitulo septimo operis, quod de rebus gestis gigantis Pantagruelis tractat, specimen indicis librorum bibliothecae Sancti Victoris lectoribus praebetur. Inter multos titulos fabulosos, fortasse licet allegare *Cacatorium medicorum*, (teste editrice Mirella Huchon vocabulum cacatorium, quod apud Ducange non invenitur, *chiottes* significat) et *Antipericatametanaparbeugedamphicri-brationes merdicantium* (Mirella Huchon dixit hoc loco merdicantes *les emmerdeurs* significare). Utinam fautoribus linguae latinae thesaurus totius latrinitatis esset. Nam non semper sine labore discrimen notionum variarum verborum nuptorum facimus. Opusculum profecto exstat Petri Pierrugues, cui titulus Glossarium eroticum, attamen imprimis poetae leviores et auctores antiquitatis laudantur. Haec breviter et congeste. Nunc ad ecclesiam Sancti Dominci me conferam, ut sacrum audiam, etiamsi non dubito quin, si saeculo decimo quinto vixissem, canes dominici me vivum combusturi fuerint! Fac valeas!

Nicolaus Ansgario sal.pl.

Litteris tuis acceptis multum gaudeo, quod tam peritê tamque benevolê iudicas de *Thesauro meo Latrinitatis vivae* neque te latent quaedam elementa eiusdem satirica atque ironica. Gratias tibi ago plurimas quod me de *Rabelaisio*

docuisti, cuius opus adhuc obiter tantum nôvi. Iam video te esse et litteraturae neolatinae et lexicographiae necnon scatologiae verê peritum. Profecto tu es *corvus albus*, id est *rara avis in terris*. Pancraticê vale, care Ansgari, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS BONAERIENSIS

d.12. m.Maii a.2022 h.7:19

Nicolaus Radulfo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Accepistine heri multa nocte Epistulam Leoninam novissimam (EL 260)? Eidem inest THESAURUS LATRINITATIS VIVAE, glossarium scatologiae Latinae abundantissimum, quod immenso labore ex fontibus abunde scaturientibus exhausti, collegi, in ordinem digessi. Scribas mihi quidquid in buccam tibi venerit. Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.15. m.Maii a.2022 h.23:47

Nicolae amice, Voco te “amicum”, etsi non facie ad faciem te nosco, quia, arbitror, est quaedam nobis in humanismo amicitia. Laborem tuum in scatologiae glosario, quod cursim redii, merito laudo. Repentizo (horribili vocabulo ignosce) copulam tibi Latinam. In omnibus quae invenio est saltem paululum boni: et in rebus parum sanctis humanitas tua fulget. Valeas semper, **Radulfus**

d.16. m.Maii a.2022 h.00:01

Nicolaus Radulfo suo Bonaëriensi sal.pl.

Care Radulfe amice, gratias plurimas tibi ago pro laude tuâ. Tamen non certo scio, quidnam sentias verbis q.s. '*repentizare copulam*'. Hoc, quaeso, explices, quaeso. Vale pancraticê. Exopto tibi septimanam iucundam et fructuosam. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

D.16. m.Maii a.2022 h.01:25

Nicolae mi

Copla hispanice stropha praesertim quattuor versuum est. Nomen *copla* a latino *copula* venit. EX.Gr. *Soy de la opinión del cuco,/ Pájaro que nunca anida:/ Pone el huevo en nido ajeno/ Y otro pájaro lo cuida.* [Est mea opinio quae est avis “cuculus” (*cuckoo* anglice?), / avis quae numquam nidum facit: / in nido alieno ovum ponit / aliaque avis id curat.] Repentizo copulam Musas laedens dixi: *de improviso* scribo. Infima est mea latinitas, ut tu doctusque Du Cange videre possunt. Vale, **Radulfus**.

Leo Latinus Radulfo Bonaerensi s.

Gratias plurimas, care Radulfe, lêgi et doctior evasi. Semper laetificor epistulis tuis. Perge Latinê scribere et carmina pangere. Medullitus te salutat Nicolaus **Leo Latinus**.

d.15. m.Maii a.2022 h.19:10

LEO LATINUS URBANO FERRARIO SUO SAL.PL.DIC.S.V.B.E.E.V.

Quomodo te habes, Urbanissime? Quid fit, quid agitur? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Uni inest introductio et summarium ORBIS PICTI HEXAGLOTTI, alteri THESAURUS LATRINITATIS VIVAE, i.e. Glossarium scatologiae abundantissimum. Si eas litteras perlustraveris, scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Exopto tibi, sodalis Latinissime, septimanam iucundam et fructuosam. Vale pancratice, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.16. m.Maii a.2022 h.02:54

Urbanus Leoni Latino salutem dicit.

Et utramque epistulam, scilicet 259 et 260, me accepisse et utramque mihi placuisse scito. Orbis Picti Hexaglotti excerta, quæ in his et in superioribus epistulis pandisti, demonstrant non tantum quam arduus verum etiam quam sit profuturus labor, quem tibi imposuisti. In eis multa insunt, quæ et docent et delectant. Continuo atque volumina in lucem prodierint, si mihi erit satis pecuniæ, curabo ut primæ et secundæ partis exemplaria mihi præsto sint. - Sed mihi admirationi fuit, quod verba quæ picturas ornant, non Latine, sed Theodisce scripta sunt. Quam ob rem, si fieri potest, quoniam opus prodibit ex Academia quæ Latinitati Favet (ALF), nonne forte magis decebit, si picturæ Latine describantur? Id quæro omni asperitate remota. Ergo noli indignari de interrogatione mea. Verumtamen sive Latine sive Theodisce describantur picturæ, operis tui momentum nullatenus minuetur. - Deus tandem tibi det et animi constantiam et corporis valetudinem, ut res tuæ in prosperum optatumque veniant exitum. - Vale valeantque tui. Dedi, Brasiliopoli, Solis die, Idibus Maiis, anno MMXXII. **Urbanus**.

d.16. m.Maii a.2022 h.10:01

Leo Latinus Urbano suo sal.pl.

Gratias plurimas, optime sodalis, tibi ago pro verbis benevolis. In editione primi tomi Orbis Picti Hexaglotti iuxta picturas erunt adscripta nomina 6 linguarum, quarum prima erit Latina. Haec brevissimê; mox, si volueris, certê plura. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat

Leo Latinus.

JOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS MONACENSIS

d.17. m.Maii a.2022 h.17:24

Care Leo, En huic epistolae binis in modis adiunctae nugae nonnullae, quas quidem hodie cum discipulabus sexti gradus non iniucunde cantavi. Fortasse et tibi, Leoni feroci, risum movebunt... Si forte fortuna eas in *Epistula* tua publicare volueris non ipse equidem tantum, sed – ut sane suspicor – et discipulae non dubito quin vel maxime laetentur.

Valeto! Johannes tuus

Nicolaus Iohanni suo sal.pl.dic.

d.17. m.Maii a.2022 h.18:28

Gratulor tibi, quod togâ induisti hoc canticum lepidissimum. Versionem tuam iam inserui manuscripto proximi Epistolae Leoninae. Vale pancreaticê et Latinissimê et perge quo coepisti. Tu ne cède malîs sed contra audentior ito. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.09. m.Maii h.16:27

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Iam unam septimanam obrutus sum commercio epistulari cum nonnullis hominibus, quibus mihi respondendum est satis fuse et verbis bene excogitatis. Noli ergo mirari, quod inspectionem Lexici Hexagloti procrastinare debui.

De tuo primo archivo electronico hae sunt meae animadversiones:

- Quod spectat ad *Fallschirm*, decidiculum unum tantum verbum est et elegantius; emolumentum "umbellae" pendet a facultate varia adiectiva adiungendi; umbella descensoria, rotunda, quadrata, umbella ascensoria, umbella motorizata et tot quot necessaria videntur. Si "umbella decidua" eligis, elegantius sonat "decidiculum" (cum hoc vocabulum pronuntias, tibi fingis hominem suspensum et oscillantem).

- *Taucher*: "urinator" non convenit; hoc vocabulum significat hominem de loco excelso praecipitem in aquam desilientem et insuper male sonat, cum statim memoret actionem magis trivialem. Confusio oritur e duplici sensu vocabuli Francogallici "*plonger, plongeur*". "*Plonger*" significat "urinari"; postquam Francogallus Cousteau intra alterum bellum mundanum instrumenta creavit, quibus natatio subaquanea facilis facta est, ad eam designandam elegit locutionem "*plongée sous-marine*", sed hic sensus vocabuli "*plongée*" novus erat; non iam enim significabat de aere in aquam praecipitem salire, sed in ipsa aqua altius descendere. Ergo sola locutio Latina adhibenda est "natatio subaquanea". Cura ut optime valeas.

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v .

Gratias tibi ago plurimas, amice de Latino sermone augendo optimê merite, quod toties mihi iam utilia suasisti ad verba neolatina eligenda et novanda spectantia. Manifestum est te esse unicum et ultimum, quocum serio atque graviter disceptare possim de quaestionibus verba Latina novandi. In *Voce Latinâ* iam ex aeonibus nihil lêgi de verbis novandis; *Vicipaediani* interdum disputant de talibus quaestionibus, sed plerumque verbosius quam peritius.

Multi confictores verborum recentiores ignorant non sufficere usum verborum fugacem et futilem ioci causâ ex tempore confictorum, sed observandam esse etiam facultatem derivandi et adiectiva efformandi ad notionem appellandam spectantia. Multis locis interretialibus verba nova indicantur, sed eadem parum peritê, parum circumspectê, sine ullis testimoniis, regulisque confingendi antiquis neglectis solent afferri. Itaque post obitum *Caelestis Iosephi Antonii Dryantis* sive *Querculacustris* Honorabilis communis nostri Magistri Latinê loquendi et scribendi, praeter te neminem video, qui logopoesi neolatinae tantâ cum peritiâ tantâque inflammatione animi deditus sit quam tu, Gai carissime.

Quod attinet ad vocabula *desulturae umbellatae* et *urinationis*, grato animo accepi proposita tua, quibus me adiuvisisti, ut eorum vim et modum adhibendi subtilius retractarem. Gaudeo, quod mecum consentis de emolumento verbi *umbellae* adhibendi. Quoad ipsum instrumentum actionis appellandum aliquantulum aliter sentis ac ego: **decidiculum* ab *Emmanuele Jovê* propositum praefers *Holzerianae umbellae deciduae* idque *elegantiae* causâ.

Ut iam dixi, equidem praefero verbum *umbellae deciduae* tribus de causis:

a. propter sensum instrumentalem parum convenientem: instrumentum appellandum non adhibetur ad casum *efficiendum*, sed ad eundem *retardandum*

b. propter *formam et structuram* instrumenti, quae verê similes sunt *umbellae*.

c. propter pronuntiatum verbi **decidiculi* eorumque derivatorum, q.s. **decidicularius* (G.pl. **decidiculariorum*) aliquatenus molestê polysyllabicum (in coniunctionibus verborum praefero *umbellaris* et *umbellatus*).

Haec hactenus de *umbellâ deciduâ*; quam coniunctionem verborum Holzerianam equidem in primo tomo mei *Orbis Picti Hexaglotti* velim subscribere picturae, sed in altero tomo, cui inerunt indicia pretiosissima ad singula nomina spectantia, sub voce libentissimê adnotabo te praeferre *decidulum* ab illo *Emmanuele Portugallo* propositum, ne in oblivionem incidant considerationes tuae, quas semper magni aestimo.

Altero loco in epistolâ tuâ mones verborum *urinatoris* et *urinationis* quae tibi videantur parum decôra esse parumque apta ad artem et artificem motionis

subaquaneae denominandas eiusque loco commendas ut adhibeatur *natatio subaquanea*. Primum de sensu verbi, deinde de quaestione decentiae.

1. *Aegidius Forcellini* optimè explicat notionem *urinatoris* (s.v.): „*Urinator est qui in aquam mergitur et sub eâ natat, marangone, palombaro, kybisteter, kolymbetes, arneuter*. Hos describit *Manil.* 5A v.428. *Hujusmodi hominibus usus est mercibus a mari extrahendis, quae navigii gratiâ jactatae fuerint.* *Liv.* 44.10 Sed in rem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omnes ferme extractum est: tantusque pudor fuit regi ejus pavoris, ut urinatores clam interfici jusserit. *Callistrat. Dig.*14.2.4. Et aliquorum mercatorum merces per urinatores extractae sunt, data mercede – cum piscatoribus collegium constituebant. *Inscr.* apud *Gruter.* 391.1. (*Orelli n.4115*) TI. CLAVDIO ESQUIL. SEVERO PATRONO CORPORIS PISCATORUM ET VRINATORUM etc.“

2. Vox *urinandi* apud ipsum Ciceronem, auctorem Latinitatis elegantissimum decentiae et pudicitiae dicendi semper observantissimum invenitur.

CICERO, *Academici libri* 2.fr.7 Si quando enim nos demersimus, ut qui *urinantur*, aut nihil superum aut obscurè admodum cernimus.

Cicero autem orator elegantissimus in epistulâ ad *Paetum* scriptâ (CIC.fam.9,22,2) se praestat in verbis eligendis pudicissimum; multa exempla enumerat verborum ambiguum quae ut strictè evitentur suadet, ne orator fiat ridiculus. E.g. commemorat verbum *di-visio* (nobis minimè suspiciosum), quod evitat, ne confundatur cum *visione*; nam *visio* – nisi est actio videndi – est actio et effectus *visiendi*, i.e. flatus ventris submissus. Alterum exemplum: Dicit sententiam in senatu dictam evitandam fuisse propter obscenam ambiguitatem: „*Hanc culpam meiore an illam dicam?*“ Sentit enim „*illam dicam*“ sonare „*landîcam*“, i.e. partem genitalium muliebrium. Tertium exemplum: Verbum latinum numerale distributivum q.e. „*bini*“ dicit evitandum esse, ne audiens cogitet de formâ verbi temporalis graeci obsceni similiter sonantis, quod valet „*coit, futuit*“. Quarto autem loco: Nec membri virilis nomen Latinum audet eloqui: ab usu verbi *mentulae* tam vehementer abhorret, ut credat plantae *mentae* non adhiberi deminutivum, ne idem confundatur cum nomine membri virilis. De nomine „*penis*“ dicit idem originaliter valuisse *caudam* (e.g. bovis), sed „*hodie in obscenis*“ esse. Talia exempla multa affert; inde apparet quam cautè, quam timidè Cicero studuerit evitare ambiguitates indecoras vel obscenas. Similia licet dicere – mirum! - de ipso *Plinio maiore* ipso auctore *Historiae naturalis*: In ingenti suo opere cui multa insunt naturalia, strictè evitat nomina portae corporis posticae, quae sunt *culus* et *ânus* et *podex*. Vix credibile: *Plinius* mavult ûti metonymiâ euphemicâ quae est „*sessio*“. Tamen îdem auctor miles fortis et pudîcus

compluries affert verbum *urinandi* (PLIN.nat.2,111; 9,91; 9,151;11,188). Libri 9 paragraphis 151-153 Plinius prolixê atque vividê narrat, quomodo ii, qui urinantur ad spongas colligendas, pugnant cum caniculis marinis (fr. *requins*): „*Canicularum maxime multitudo circa eas (sc. spongas) urinantes gravi periculo infestat...*“

Videmus his exemplis allatis Romanos auctores non omnes tantâ cum lascivitate loqui quantâ Catullum et Martialem et Plautum (qui postremus – ut obiter dicam – veretur, ne eloquatur verbum *cacandi* – in causâ fuisse videtur quaedam superstitione).

Ergo licet concludere: Si ipse Cicero et ipse Plinius verbis *urinandi* sine ullâ excusatiunculâ pudoris aut reverentiae utuntur, nobis hominibus saeculi vicesimi primi liceat sine ullo scrupulo adhibere eadem nomina. Bene memini iam in seminariis *Patris Caelestis* nonnullos participes de hac assonantiâ ambiguâ subrisisse, immo ipsum monachum interdum de eâdem iocatum esse – quod nullo modo nocuit – dicitur enim risio esse salubris.

In omnibus linguis naturalibus tales exstant ambiguitates vel similitudines verborum, quibus associationes cogitationum effici possint molestae aut ridiculae. Poetae libenter ludunt ambiguitate verborum. Quae est quodammodo sal et piper sermonis. E contrario in linguis facticiis, qualis est Esperantica, omnia verba sunt unius significationis exactê definitae. Quare unâ ex parte effici mihi videtur maxima perspicuitas, alterâ ex parte certê quaedam paupertas parum poetica, nimis artificialis.

Restat ut adnotem nomen *urinatoris* in litteris neolatinis latê patêre, etiam verba derivata quale est „*campana urinatoria*“. Invêni etiam dissertationem prolixam, quâ tractatur *urinatio*.

Ergo pace tuâ, care Gai, cogito hoc nomen conservandum esse etiam nobis Latinitatis vivae defensoribus. „*Natatio subaquanea*“ certê non est falsa circuitio verborum, tamen interdum parum commoda, praesertim, si agitur de terminis technicis denominandis, qui spectant ad urinationem. Semper respicienda sunt nomina ex compluribus verbis componenda – oportet eadem ne fiant nimis longa et incommoda et monstruosa. Quidni conservemus nomen per totam litteraturam Latinam probatissimum? Sive se submerserunt sine apparatu respiratorio sive *pulmone aquatico* instructi, sive urinantes sunt urinatores professionali qualis fuit ille *Iacobus Cousteau* sive amatores tantum *urinandi* otiosi, sive pisces harponibus venantur sive photographant et cinematographant sive naves submersas explorant sive alias res in abyssis marinis agunt – liceat eos appellare uno nomine *urinatores* (et *urinatrices*, si feminae sunt – etiam hanc formam invêni in litteris neolatinis, ubi commemorantur *urinatrices* Iaponicae margaritas quaerentes – si volueris, libenter locum requiram).

Haec habui in praesenti quae dicerem tibi de verbis fingendis et eligendis, praesertim de *desulturâ umbellatâ* necnon de *urinatione*. De his scribas mihi, optime Gai, quaecumque tibi in buccam venerint. Semper iuvat et delectat tecum Latinê disputare sive de rebus Latinis sive de aliis quibuscumque. Pancraticê vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.



ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rariae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rariae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00

		08-1							
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kiemeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 –	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90

			Libri audibiles						
26	0040 6A	978-3- 938905- 25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,

USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM PRIMAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Martis ineunte, d.24. m.Maii a.2022



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**